



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **SANCTI ANDREAE ET PROVIDENTIAE** \*  
PRAEFECTURA APOSTOLICA SANCTI ANDREAE ET PROVIDENTIAE,

IN COLUMBIAE FINIBUS, AD DIGNITATEM EVEHITUR VICARIATUS APOSTOLICI De Evangelii proclamatione totum per orbem solliciti, fideles Columbianam terram incolentes nunc quidem cogitamus, eos omnes precibus Nostris usque prosequentes. Quia vero animadvertimus Praefecturam Apostolicam Sancti Andreae et Providentiae in evangelica doctrina adipiscenda feliciter prosperare, re mature perpensa, communitatem illam ecclesiam ad gradum dignitatemque Vicariatus Apostolici provehere existimamus. Itaque de consilio Venerabilium Fratrum Congregationis pro Gentium Evangelizatione negotiis praepositorum, Apostolicae Nostrae auctoritatis plenitudine, Praefecturam supra dictam, iisdem finibus constantem, ad statum attollimus Vicariatus Apostolici *Sancti Andreae et Providentiae*, additis iuribus officiisque secundum Iuris Canonici normas. Quibusvis rebus minime obsistentibus. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Beniaminum Stella, Archiepiscopum titulo Midilensem atque in Columbia Apostolicum Nuntium, legamus. Diligentibus denique curis Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum novam communitatem ecclesiam committentes, clerum omnesque fideles eiusdem Vicariatus optimis omnibus Nostris prosequimur: summa enim tenemur fiducia eos omnes in humana christianaque provincia altum adepturos esse progressum. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die quinto mensis Decembris, anno bismillesimo, Pontificatus Nostris tertio et vicesimo.*

ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status*

IOSEPHUS card. TOMKO

*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Franciscus Bruno, *Protonot.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. XCIII (2001), n. 4, p. 197 © Copyright 2000 - Libreria Editrice Vaticana